Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

135

De triplici hominis ante lapsum scientia.

Denique fuit homo scientia ante lapsum triplici cognitione praeditus: creatoris scilicet, rerum creatarum, et sui. Creatorem enim noscebat, non tamen sic perfecte qualiter sancti in futuro facie revelata cognoscent, nec in enigmate qualiter nunc videmus; sed quadam propinquiori intelligentia qua dei praesentiam contemplabatur. Rerum quoque cognitione fuit, quod patet per hoc quod cunctis animalibus nomina imposuit, que propter illum creata et ab illo regenda fuerant. Proinde et sui cognitione fuit intelligens quid superiori et equali et inferiori deberet. Nec enim reus esset transgressionis si hoc non novisset. (questio) Quod si queritur utrum casum secuturum praenoverit, (solutio) dicimus quod magis ei facienda indicta sunt quam futura revelata. Non ergo fuit homo praescius sui casus, sicut et de angelo diximus.

De gratia creationis.

Hic sciendum est quod homo cum factus fuit in voluntate recta, datumque fuit ei auxilium quo in ea rectitudine stare posset, non autem mereri salutem non alia gratia sibi daretur. Unde Augustinus: (aug.) Sic factus est homo rectus, ut manere in ea rectitudine posset, non tamen sine divino adiutorio, quod si angelo vel homini cum primum facti sunt defuisset, non utique sua culpa cecidisset.

Illud autem erat libertas arbitrii ab omni corruptione immunis voluntatis, et rectitudo omniumque naturalium potentiarum sinceritas et vivacitas. Ad hec autem quod diximus hominem per hoc sine alia gratia non posse proficere, obicitur: (Oppositio) Per illud auxilium creationis gratie potuit homo manere in bono, potuit ergo resistere malo, quod si fecisset, perfectum esset ei et vite meritum. Ad quod dicimus quia resistere malo tunc demum vite meritum est, cum causa subest que nos id facere monet, qualiter nunc est corruptio peccati, que tunc in homine non erat. Alioquin meritum non est, quod in angelis apparet, quibus non fuit stare meritum. Declinare enim a malo semper vitat penam, sed non semper meretur palmam.

De libero arbitrio.

Nunc de libero arbitrio videamus, disserentes quid sit, et quid sit vel unde dicatur, quorum etiam sit, et ad quid pertineat. Est enim liberum arbitrium in voluntate et ratione. Est enim facultas voluntatis et rationis. Pro voluntate que non cogitur liberum dictum, pro ratione vero arbitrium, quia arbitratur et diiudicat inter bonum et malum. Inde ergo liberum arbitrium, quod spontanee et libere ducitur vel ad bonum eligendum, non tamen sine auxilio gratie, vel ad malum, in quo per se sufficit. Porro secundum hoc non videtur in ceteris esse